



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Cicvta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A plausu & oblectatione dissepuntur; cumque valde maturerint, totæ puniceæ fiunt, parte à Sole tacta semper densius colorata. Sed ut ad formam radicis quæ verè mandragora dicitur, revertamur, id etiam miror, cur una cum Pythagora Columellam etiam nihili pendant, qui Pythagoricam secutus nuncupationem, ita super ea canit:

*Quamvis senibominis vesano gramine facta,
Mandragora pariat flores, mastramque cicutam.*

Quod vero Columella vesano gramine posuit, ad herbæ vim respexit, quæ aliter & Morion dicitur: ea enim, ut Medici tradidere, drachmæ unius pondere, vel in polenta, vel esculentis aliis data, fatuitatem inducit. Eucherius super hac in Genesi, nihil aliud dicit, nisi mandragoram genus pomi esse parvo peponi simillimum; quæ quidem forma ad Ligustica, quæ dicebamus Amarezana, proximè accederet, nisi obstarent reliqua veneno super tradita.

LÆTITIA. CAP. XXXIX.

B Sed ut mandragoram ab omni absolyamus ignominia, Xenophon cam pro lætitiæ argumento citat, apud quem in Symposio Socrates ait, vinum non aliter mœrori mederi, quam mandragora hominibus, lætitiâque non aliter excitare, quam oleum inasperum igni flammam. Potro si mandragora venenum esset, aut mansa incommodum aliquod afferret, cur 30. Genesios cap. Ruben triticæ messis tempore in agrum exierit mandragoras reperitur, quas ad Liam matrem suam deferret, & Rachel explorata reperierit à sorore, ut in ejusmodi plantæ participatum admitteretur? cui Lia responderit: *Parumne tibi videtur, quod maritum mihi præripueris, nisi mandragoras etiam filii mei industria acquisitas tibi vendicare cogites?* & quæ de nocte mox pacta sequuntur mandragoræ pretio concessa. Unde suspicari possum, apud scriptores nostros parum de mandragora liquere, antiquissimum ejus usum & utilitatem esse temporibus nostris incognitam. Quod vero manifestissimum est, præscio illi seculo, ex historia sacra, cibum omnium pretiosissimum fuisse apparet: nostro autem tempore, si ea Ligustica Amarezana est, cum tot condimentis inserviat, & olerum omnium per universum annum sit usitatissima, facessere jussim eos qui eam infamem imaginantur. Sed qui plura super ea quæsierit, ad Plinium se conferat, l. 25. c. 13.

Matthæus in Dioscoro, ibid.

DE BULBIS. NUPTIÆ. CAP. XL.

Sunt qui nuptias, atque maritalæ copulam (ita enim Græci *γάμος* intelligunt) per hieroglyphi-
cum Bulbi significati velint: eo enim plurimum veteres utebantur ad languentem Venerem ex-
citandam. Et viri in novis nuptiis prima die, auctore Varrone de vita Patrum, bulbos comede-
bant. Hinc illud apud Martialem faceret dictum:

*Cum sit anus conjux, & sint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis quam satur esse potes.*

Sed hoc Martialis ex Aristoph. desumpsisse videtur, ubi juvenis, Concionatricibus, à duabus vetulis
distractus, quærit ab eis; quamam possit ratione duo eodem tempore navigia agitare? respondet
una, Postquam bulborum ollam devoraveris. Docet vero M. Varro bulbos aqua decoquere ad
usum Veneris. Apitius addit nucleos pincos, & semen erucæ cum pipere.

Dioscorides l. 2. c. 165. Bulborum usus.
*Καὶ φάρμακον βολβῶν χη-
τερον: Qui devoraverit bulborum ollam.*

DE CICUTA. XLI.

Sed quoniam nequitia lætis ubiq; est, longe utilius fore existimo, si quæ ad ardorem Veneris potius extinguendum proponantur, quam quæ lasciviam fovete doceant, commemoremus.

